

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XI.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

quidem sensit Hortensius, ut est lib. 3. epist. 8.

Mei officii est] Ego, quod est officii mei, id praestabo.

Decedens] Pro, *discedens*, cum

iret Cicero in provinciam. Sic epist. 1. *Quod tibi decedens pol-*

licitus sum.

Fieri] Provinciae tempus pro-

rogari.

EPISTOLAE XI.

ARGUMENTVM.

Cum Cicero, litteris ad senatum missis, supplicationes pro re in Amano monte bene gesta postulasset; C. Curio, tribunus plebis, Cicero-
nis cupidissimus, iratus senatui, quod ei potestas agendi cum populo eri-
peretur, fieri senatus consultum de supplicationibus non patiebatur.
postremo ventum est ad pacem, permittente Curione senatus consul-
tum fieri; modo nullae praeterea in reliquum annum supplicationes eri-
perentur. qua tota de re, et de cuiusque sententia ac voluntate dili-
genter Coelius perferibit. De republica narrat contentiones inter Pom-
peium et Curionem de successore Caesari mittendo. Mittit commenta-
rium rerum urbanarum. Sittianum negotium commendat.

EXPLANATIO.

Curio] Tribunus plebis.

Comitiales] Dies: quibus agere cum populo licebat.

Eriperiebantur] Quo modo? au-
spiciis. dum enim servabatur de
caelo, quae *spectio* vocabatur, age-
re cum populo non licebat. de
caelo autem servabant, non augu-
res, sed magistratus: quod Cicero
demonstrat in Phil. 2. c. 32. et Var-
ro apud Nonium. Consules igitur,
alter amboue, de caelo servabant,
ne Curio comitialibus diebus age-
re cum populo posset. erat autem
haec impediendi perniciosas tribu-
norum rogationes praeclara et
utilis admodum reipublicae ratio:
qua etiam Lentulus Marcellinus
consul aduersus leges C. Catonis
tribuni plebis usus est: de quo sic
lib. 2. ad Q. Fr. epist. 6. *Consul est*
eg. egus Lentulus, non impediende
collega: sic, inquam, bonus, ut
meliozem non viderim, dies comi-

tales exemis omnes. nam etiam
Latinae instaurantur: nec tamen
decrant supplicationes. sic legibus
perniciosissimis obfistitur, maxime
Catonis. Dies agendi cum populo,
in eadem epistola infra vocat Ci-
cero.

Negabat] Ut par pari referret.
consules de caelo servabant, ne Cu-
rio posset agere cum populo: Cu-
rio intercedebat, ne decernerentur
supplicationes.

Pauli] Consul, nondum a
Caesare corrupti.

Adeptus esset boni] Paullus con-
sul, ne quid Curio agere cum po-
pulo posset, de caelo servabat:
quem Curio furorem appellabat:
et ex ea sibi illata iniuria hoc se bo-
num adeptum dicebat, quod iustam
haberet causam impediendi, ne
quid decernere senatus posset. quod
si senatus consultum de supplicatio-

Qa 3

nibus

nibus fieri pateretur, amittere sibi videbatur bonum illud, quod furore Paulli adeptus esset.

Praeuaricator] Proditor.

Caissae publicae] Quia, cum ei comitiales eriperentur, nec agere cum populo posset, impediri ac laedi causa publica videretur; cuius se patronum profitebatur, oppugnante Paulo.

His] Quae postulari solent.

Non vsuros] Exceptis his, quae Ciceroni decernerentur.

Spem] Quasi nihil reipublicae prodesse, aut a diis immortalibus minime curarentur. Non est igitur, quod Marcello magnopere gratias agas; qui Curioni promisit, se in hunc annum nullis praeterea supplicationibus vsurum, non quo facilius de tuis impetraret, sed quia spem omnino in istis supplicationibus non haberet.

Non edicturum] Supplicationes.

Diutius dicturum] Vt diem dicendo consumeret, ne senatus consultum fieri posset. quo de more diximus lib. 1. epist. 4.

Prendimus] Rogauimus. ductum ab eo, quia prendimus, et prensamus, (viroque enim modo loquebantur veteres) a quibus impetrare aliquid cupimus.

Non modo non fecit] Sigonii liber, *non modo fecit*. quod neque probo, neque condemno. vide locum lib. 1. epist. 9. *non modo praemiis*.

De hostibus] Non dabantur supplicationes, nisi ob iustam victoriam, caesis hostibus certo quodam numero. ideo Cicero lib. 2. epist. 10. *Victoria iusta*, inquit, *imperator appellatus apud Iustum*. Id con-

firmat ipse Coelius, cum subiungit, potuisse Hirrum impedire, si, vt numeraretur, postulasset. quis autem caesorum numerus obtinendis supplicationibus sufficeret, praecise scriptum non inueni: vnum hoc dicam, si mille hostium caesi essent, Ciceronis aetate satis fuisse. id ex iis Ciceronis verbis Phil. 14. c. 5. cognoscitur; *Si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille, aut duo millia occidisset, non eum hac consuetudine, quae increbruit, imperatorem appellaret senatus?* triumphum quidem, qui supplicationes fere sequebatur, nisi qui quinque millia hostium vna acie cecidisset, nemini per leges impetrare licuisse Valerius lib. 2. c. 3. tradidit. sed hoc etiam, vt opinor, deprauauit ambitio. Quidam, *hostis*, legunt: quam recte, alii indicent: ego sequor et historiae testimonium, et antiquos libros, Sigonianum, et meum.

Possit rem impedire] Falso igitur Cicero illud scripserat lib. 2. epist. 10. *Victoria iusta imperator appellatus apud Iustum*. De eadem re lib. 7. ad Attic. epist. 1.

Vt numerarentur ERN. *numeraretur*] Vt ostenderetur, quo caesi hostes numero essent.

Catoni] M. Porcio Catoni, optimo viro, cuius in sententiam, Cicerone consule, factum erat senatus consultum de Catilinae sociis in carcere necandis, is praetor fuerat L. Domitio, Ap. Pulchro cos. repulsam tulerat in petitione consulatus, quo anno Ser. Sulpicius et M. Marcellus designati sunt, id est, biennio ante, quam haec epistola scriberetur.

Assensus

Affensus est] Licet iratus esset, ut ad Atticum Cicero scripsit, cuius verba proxime recitavi: iratus autem, quia superatus esset ab eo in petitione auguratus, epist. 3. et 9. hac de re sic in eadem ad Attic. epistola: Redeo ad Hirrum. coeperas eum mihi placare: perfice. habes Scrofam, habes Silium. ad eos ego etiam antea scripsi, et ad ipsum Hirrum. Locutus enim erat cum iis commode, se potuisse impedire, sed noluisse: assensum tantum esse Catoni, amicissimo meo; cum is honorificentissimam in me sententiam dixisset; nec me ad se ullas litteras misisse, cum ad omnes mitterem.

De te et (et abest in ERN.) locutus honorifice] Particulam, et, superuacaneam esse cur non putem? feratur tamen, ut in Coelio, cuius *χαράτης* a purissimo et ornatissimo Ciceronis sermone quam longe distet, omnes intelligunt. quod etiam critici veteres, quorum testimonia iam recitauimus, facile iudicarunt. Quod Coelius significat, hoc est: De te licet locutus honorifice, tamen non decreuerat supplicationes. laudauit enim Cato Ciceronem in sua sententia, supplicationem non decreuit. cur ita sentierit, exponit ipse lib. 15. epist. 5. cui Cicero respondens epist. 6. dixit, se tanti facere Catonis illam laudationem, ut cum ea nullum triumphum esse conferendum existimet. et lib. 7. ad Attic. epist. 1. confirmat idem his verbis: Tu de nostro statu cogitabis: primum, quo officio tueamur beneuolentiam Caesaris: deinde de ipso triumpho, quem video, nisi reipublicae tempora impediunt, *ἐπιτίμω*. iudico autem cum ex litteris ami-

corum, tum ex supplicatione; quam qui non decreuit, plus decreuit, quam si omnes decreisset triumphos. ei porro assensus est unus, familiaris meus, Fauonius, alter iratus, Hirrus. Cato autem et se ibendo affuit, et ad me de sententia sua iucundissimas litteras misit. sed tamen gratulans mihi Caesar de supplicatione, triumphat de sententia Catonis: nec scribit, quid illi sententiae dixerit, sed tantum, supplicationem eum mihi non decreuisse.

Non decreuerat] Quid causae fuit, cur non decreuerit, cum et amicissimus esse videretur, et res supplicatione dignas Cicero gessisset, iusta victoria imperator apud Iulum appellatus? obstitit inuidia: cum nobiles homines, ex antiquissimis orti familiis, nouum hominem Ciceronem in principibus quidem esse facile paterentur, altius autem euolare nequaquam vellent. quod in epistolis interdum queritur Cicero, et aperte quidem lib. 7. ad Attic. epist. 2. his verbis: Cato in me turpiter fuit maleuolus. dedit integritatis, iustitiae, clementiae, fidei mihi testimonium, quod non quaerebam; quod postulabam, id negauit. itaque Caesar iis litteris, quibus mihi gratulatur, et omnia pollicetur, quo modo exultat Catonis, in me ingratisimi, iniuria? at hic idem Bibulo dierum viginti. ignosce mihi, non possum haec ferre, nec feram. Et epist. 3. Bibulus de prouincia decessit, Ventionem praefecit. in decedendo erit, ut audio, tardior: quem cum ornauit Cato, declarauit, iis se solis non inuidere, quibus nihil, aut non multum ad dignitatem posset accedere.

Oo 4.

Fauonius

Fauonius] Catonis imitator, aedilis curulis hoc anno.

Accessu] Cato sententiam dixerat: assensu sunt Hirrus et Fauonius, sententiam non dixerunt.

Pro cuiusque natura et instituto] Pertinet hoc ad Catonem, hominem seuerissimum, naturaque et consuetudine valde parcum in tribuendis honoribus.

His] Non Catoni, qui sententiam dixit honorificam, sed Hirro et Fauonio, qui sententiam quidem non dixerunt, sed voluntatem ostenderunt pro sententia, cum Catoni assensu sint. vel, *his*, tribus nominatis, quibus hoc nomine debentur gratiae, quod voluntatem dumtaxat ostenderunt non decernendae supplicationis; pro sententia vero, ut omnino non decerneretur, pugnare noluerunt, cum impedire tamen possint, quae si recipitur interpretatio, mihi quidem satis prolata; distinguendum erit hoc loco: *Voluntatem ostenderunt; pro sententia, cum impedire possent, non pugnarunt.*

Tantum voluntatem ERN. *Tantum*] Pro *sententia*, ut lib. 7. epist. 31. *Veni igitur, quaeso, ne tantum sibi men urbanitatis una cum republica intereat.*

Cum impedire possent] Si, ut numeraretur, postulerent.

De suarum actionum cursu] Iratus enim Paullo consuli, qui comitiales ei dies eripiebat, induxerat animum supplicationes omnes impedire.

Furnius] Tribunus plebis, Ciceronis cupidissimus. lib. 15. epist. 14. et lib. 5. ad Attic. epist. 18. is est, ad quem leguntur epistolae aliquot lib. 10.

Lentulus] Cum Lentuli essent multi, summa inter Ciceronem et P. Lentulum Spintherem amicitia facit, ut de Spinthere accipiendum existimem.

Circumierunt] Prensarunt, ambierunt, qui enim ambit, circumit: ut ipsa verbi compositio declarat.

Balbi Cornelii] Gaditani. epist. 9. *Si aliter fecisset*] Si supplicationes Ciceronis impedisset.

Caesari] Cui se addixerat, accepta ingenti mercede.

Eius fidem in suspicionem adduxit] Cum diceret, ei cauendum esse, ne fide reconciliatus cum Caesare videretur, si Ciceronis honorem impedisset, quem sciret a Caesare non vulgariter diligi.

Decrerant] Non equidem is sum, qui diuinationibus, praesertim quae sola coniectura nitantur, facile acquiescam; verumtamen, ubi nec sententia repugnat, et mutatio levis est, cur libertatem ingeniis eripiam? Hoc quidem in loco, qui nunc in manibus est, cum antiqui libri plerique haberent, *decerant*; nonnulli, *deserant*; alii aliter; ex hac varietate sum adductus, ut probarem, *decerant*: qua sententia, nunc exponam. L. Domitius Ahenobarbus, et P. Scipio, Pompeii focer, vterque Caesaris inimicus, cum inique ferrent transigi de supplicationibus Ciceronis, easque Curionis tribuni plebis intercessione euperent impediri; simulatione beneuolentiae supplicationes decreuerunt, ut ea re Curionem, omnibus Pompeianorum actionibus acriter aduersari solitum, ad intercedendum elicerent. Accedit Coeliani sermonis consuetudo. paullo enim ante dictum est, *non decre-*
rat

rat supplicationes. Et in Verrem dixit Cicero, decreisset.

Hac re] Quod supplicationes decernerent.

Ad intercessionem euocandam] Ut Curionem, optimatibus infensum, ad intercedendum elicerent.

Interpellantibus] Crebro instantibus, ut supplicationes decernerentur.

Venustissime] Pulcherrime, ductum a Venere, cui pulchritudinem fabulae poetarum tribuunt.

In unam causam omnis contentio coniecta est de provinciis: in quam adhuc incubuisse ERN. *In unam causam omnis contentio coniecta est: de provinciis inquam adhuc est incubuisse*] Addidi verbum est, ex antiquis libris, approbante sententia. adhuc, inquit, de provinciis contentio est.

Id. Nou. ERN. Ante Idus Nou.] Ante tempus ei decem tribunorum lege concessum.

Nostri] Optimates.

Bene nostri] Imbecillitas eorum significatur.

Scena rei totius] In scena dantur fabulae. Coelius transtulit ad significationem rerum omnium, de quibus contentio esset: ut, quemadmodum scena fabulas, item id, quod dicturus est, omnia contineat.

Quod illi aequum puter] Aequum putabat, senatui dicto audientem Caesarem esse. de quo sic epist. 4. *In disputando coniecit illum vocem Cn. Pompeius, omnes oportere senatui dicto audientes esse.* Eodem spectat illud in epist. 8. *Dixit, hoc nihil interesse, utrum Caesar senatui dicto audiens futurus non esset, an pararet, qui senatum decernere non patretur.*

Specie igitur probabilis et aequa erat actio Pompeii: sed iniquum contra videbatur, populi beneficium, Caesari lege tributum, sine causa eripi: quod tamen senatus decreuit, Pompeii eiusque amicorum studio.

Consulem designari prius] Quod Caesar cogitabat: ideoque ferri legem a decem tribunis plebis voluerat, ut eius absentis in petitione consulatus ratio haberetur.

Accipitur satis male] Contumeliose et acerbe tractatur.

Secundus consulatus] In quo Pompeius iterum consul operam dederat, auctorque fuerat, ut Trebonius tribunus plebis de Galliarum imperio Caesari in alterum quinquennium prorogando legem ferret. quod beneficium nunc idem Pompeius conabatur eripere, cum eum ante idus Nou. vellet decedere.

Exagitatur] Reprehenditur. sic lib. 1. epist. 1. *In rebus palam a consularibus exagitatis, et in summam inuidiam adductis.*

Caesar defendetur] Ab amicis: ne cogatur ante legitimam diem decedere.

Sententiam] De provinciis.

Ludorum explosiones] Quos populus oderat, eos ad ludorum spectacula accedentes excludebat. de iis in commentario scripserat Coelius: praeterea de funeribus, et levitia quaedam, quas ipse ineptias fatetur esse.

De Sittiano negotio] De syngrapha Sittiana. epist. 2. 4. 8. 9.

Eos] A quibus exigenda pecunia est. nam syngrapha Sittiana facultatem dabat exigendae pecuniae.

Os 5

Tam.